

ILLUSTRISSIMO  
ET  
REVERENDISSIMO  
PRINCIPI  
AC  
DOMINO DOMINO  
FRANCISCO  
ANTONIO  
ADOLPHO

S. R. I.  
PRINCIPI ET EPISCOPO  
CHIEMENSI,  
Ex Comitibus de Wagensperg, Celsissimi ac  
Reverendissimi S. R. I. Principis & Archi-Episcopi Sa-  
lisburgensis Consiliario Intimo, Locum-Tenenti, &  
Camerae Aulicæ Præsidi; Metropolitanæ Ecclesiæ  
Salisburgensis Canonico Capitulari,  
& actu Seniori &c. &c.

PRINCIPI ac DOMINO DOMINO  
GRATIOSISSIMO.



ILLUSTRISSIME  
AC  
REVERENDISSIME  
S. R. I.  
PRINCEPS  
&c. &c.  
DOMINE DOMINE  
GRATIOSISSIME,

**M**ellifluus Ecclesiae sanctae DEI Do-  
ctor, Exemplar & Speculum Pa-  
storum ac Pontificum S. Ambro-  
sius, ILLUSTRISSIME ac REVE-  
RENDISSIME PRINCEPS, Sacerdotibus &  
Præsulibus adeò impensè commendare sole-  
bat

bat Sacrae Scripturae studium, ut eam vocaret *Librum sacerdotalem*. Qua in re secutus est magnum illum & coelestem Dionysium, Divi Pauli Discipulum; utpote qui Lib. de Divinis Nominibus c. 7. asseverat, Sacram Scripturam esse *Substantiam Sacerdotij nostri*.

Mellifluus, inquam, iste Ecclesiae Sanctae Dei Doctor, S. Ambrosius, ne plus dixisse, quam fecisse videretur, hujusce rei seipsum praebuit exemplum: Illius enim continuus & indefessus Labor in Sacra Scriptura tum legenda & perscrutanda; tum voce & scripto explananda liquidò patet; partim ex Commentariis & tractatibus, quos in illam multos & luculentos edidit; partim ex Sermonibus & Concionibus, quibus, quasi strenuus Ecclesiae Pastor, populum assidue pavit, & instruxit: Quarum quanta fuerit vis & energia, vel ex hoc conjicere licet, quòd iisdem S. Augustinum, jam tum Manichæum, & in Hæresi sua æquè doctum ac pertinacem ad sanam Fidem converterit, Ecclesiaeque Catholicae, quale Lumen! restituerit; immò dederit.

Patia-

Patiatur, quæso ILLUSTRIS­SIME ac REVERENDIS­SIME PRINCEPS, patiatur, inquam, TUA TIBI innata ad laudes modestia, ut & de Te, & quidem jure meritissimo, dicam, Te ad instar Melliflui Ecclesiæ Doctoris, sancti Ambrosij, Sacræ Scripturæ, aliorumque piorum Librorum Amatorem & Æstimatorem esse singularem: Continuus enim & indefessus Labor Tuus in Sacra Scriptura, & aliis doctis & devotis libris liquidò patet ex Sermonibus & Concionibus, quibus, tanquam strenuus Ecclesiæ Pastor, populum toties pacis & instruis: Quarum quanta hucusq; fuerit vis & energia, non tam maximus Auditorum confluxus, quàm & eorum lacrymosa suspiria, & pia desideria testantur. Non abblandior, non narro secreta, sed publica, quæ res ipsa palam loquitur.

Legisti, ILLUSTRIS­SIME & REVERENDIS­SIME PRINCEPS, Legisti, inquam, in sacris Litteris ad Titum c. 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile:*

Ut

Ut is, qui ex  
lum dicere de  
ita exprimis  
piscema in  
descriptum  
quàm vider  
tur.

Legisti  
Frangere esurien  
duc in domum  
et carnem tuam

Legisti  
Qui clemens  
habet, nec in  
spiritualis sit,

Legisti  
Gloria Episcop  
est, pauperum  
bus & egen  
ac prospicis  
dicaris; qu  
aurea illa ve  
vite, & Laz

*Ut is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Et ideo hæc omnia vitâ Tuâ ita exprimis, ut omnes hoc Paulinum Episcopi schema in moribus Tuis, quasi in viva idea descriptum & depictum, non tam legere, quàm videre & cominus intueri sibi videantur.

Legisti in Sacris Litteris Isaiaë c. 58. v. 7. *Frangere esurienti panem tuum, & egenos, vagosq; induc in domum tuam: Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.*

Legisti etiam in Sacris Canonibus, Can. Qui clementiam. dist. 86. *Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ; quamvis spiritalis sit, non adimplet legem Christi.*

Legisti in iisdem SS. Canonibus, Can. Gloria Episcopi. 12. quæst. 2. *Gloria Principis est, pauperum inopiæ providere.* Et hinc pauperibus & egenis adedè largè, & benignè provides ac prospicis, ut ab omnibus Pater pauperum dicaris; quasi continuò ante oculos haberes aurea illa verba S. Chrysofomi Serm. de Diuite, & Lazaro: *Manus pauperis est Gazophylacium*

*cium CHRISTI, quidquid enim pauper accipit, ac-  
ceptat CHRISTUS.* Hinc usque modò adim-  
ples, quod jam pridem Augustissimus Impe-  
rator Justinianus Leg. Privilegia. Cod. De Sa-  
cro-Sanctis Ecclesiis his expressit verbis : *Hu-  
manitatis nostræ est, egenis prospicere, & dare operam,  
ut pauperibus alimenta non desint.* Namque, ut  
olim in ore S. Ambrosij examen apum conse-  
dit; sic, CLEMENTISSIME PATER PAUPE-  
RUM, quocúnque perexeris, examen paupe-  
rum Te sequitur, & circumdat.

Legisti insuper, ILLUSTRISSE AC REVE-  
RENDISSE PRINCEPS, I. ad Timoth. c. 5.  
v. 8. *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam  
non habet, Fidem negavit, & est infideli deterior.* Qua-  
propter Domestici Tui iteratò à Te audiunt:  
*Vigilate, state In fide, Viriliter agite, & Confor-  
tamini.* I. Corinth. c. 6. v. 13. Et qui raram &  
singularem hanc curam Tuam curare negli-  
gunt, ex Aula Tua exesse debere, sciunt.  
Quæ omnia paucis complector, dum dico:

*Pascis oves, removésque lupos, succurris egenti.*

Legi-

Legisti tandem etiam in Sacris Litteris 2.  
ad Timoth. c.4. v.13. quòd S.Paulus, divinitus  
de morte sua certior factus, per Timotheum  
suos petierit libros, scribens: *Veniens affer tecum  
& libros.* Verùm, quid proderunt libri mori-  
turo? Respondet Hugo Cardinalis hìc: Ut  
essent Ei solatio in tribulatione, & aliis daret  
exemplum studendi. Et ideo, CLEMENTISSI-  
ME PRINCEPS, quoties ad infirmos, etiam pau-  
perrimos, vocaris, illos non tantùm absolutio-  
ne generali, & dulcissimis verbis roboras &  
animas; sed affers insuper Tecum libellum de-  
votissimum à Te compositum, quem Infirma-  
riis, & aliis relinquis, tum, ut sic, etiam absens,  
infirmantibus & agonizantibus sis solatio;  
tum etiam, ut & aliis des exemplum studendi.  
Verbò: Ad instar melliflui Ambrosii Sacras  
litteras singulariter *æstimas, & amas.*

Hinc & ego opuscula mea concionatoria  
secundi anni Tibi, ILLUSTRISSE & REVEREN-  
DISSIME PRINCEPS, demisso in terram poplite  
offero, dico, & confecro, orans & obsecrans,  
ut hunc qualem qualem laborum meorum

partum in TUAM tutelam & defensionem ad-  
versus quoscunque zoilos suscipere haud de-  
digneris: Nam Patrocinium tale ad officium  
Episcopalis TUÆ pertinere dignitatis Sanctus  
testatur Augustinus Serm. 10. de Verbis Domi-  
ni dicens: *Pro magno commendantur Episcopis Pa-  
trocinia pupillarum.*

Accipe igitur, PAUPERUM PATER CLEMEN-  
TISSIME, à paupere Minorita hoc levidense ob-  
servantiæ meæ erga Te testimonium & mne-  
mosynon; immò debitum. Qui millies repeto  
& dico:

*Pascis oves, removésque lupos, succurris egenti:*

*Sic bene curando, vive, senesce gregi.*

Interim turba paupercula omnis, quasi  
præfaga, ex Sacris Litteris Ecclesiastici c. I. v.  
13. incessabili voce de Te proclamat, dicens:  
*In Die Def Vn Ct Ion Is s Væ bene DICet Vr.*

ILLUSTRISSIMI & REVEREN-  
DISSIMI S. R. I. PRINCIPIS

Ad Pedes & Pedum prostratus

Humillimus

F. Polychronius Franciscanus  
indignus.